R. A. 30 Junij 1618

VOTA ET MOTIVA, in processu Dominici Campillo.

IN Dei nomine, Amen. Nouerint vniuersi, quod anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo decimo octauo, die numerata tricesima mensis Iunij Cæsaraugustæ Regni Aragonum, in Regio Consilio ciuili; interuenerunt; Illustrissimus Dominus Regens officium generalis Gubernationis Aragonum, necnon magnifici domini Martinus Godino ordinarius Assessor, Dominicus Auengochea, Augustinus Pilares, Ioannes de Canales, & Franciscus Michael de Pueyo Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus processus Dominici Campillo, super apprehensione, in quo tres ex dictis Dominis de Regio Consilio fuerunt voti & opinionis; quod attentis contentis tenetur, & debet pronuntiare, & mandare fieri contenta in propositione Dominici Campillo, prin. Antonij Latassa Procur. cum expensis iuribus suis ac viduitate Ioannę Verde vsufructuariæ, & obligate durantibus, & eis finitis contenta in propositioue Ioannæ Verde princ. Antonij Latassa Procur. eius viduitate durante, & ea finita contenta in propositione Ioannis Franco prin. Gerardi Longo Proc. nominibus quibus in processu præstita prius respectiue cautione forali alijs propositionibus repulsis reseruatis iuribus reseruari supplicantibus, neutram partium in expensis demptis prædictis taxandis condemnando: Ex eo potissimum, & alias recipiuntur propositiones dicti Dominici Campillo, princ. Antonij Latassa Procur. & deinde Ioannæ Verde princ. eiusdem Procur. durante sua viduitate, quoniam ex deductis, & probatis in hoc processu liquide constat, quod Martinus ius bonorum apprehensorum dominus & possessor, vsque ad illius obitum fuit, necnon matrimonium cum dicta Ioanna Verde contraxit, quare post illius obitum

A prædi-

prædicta bona apprehensa iure viduitatis foralis ad eam pertinuerunt, qua durante ad fauorem dicti Dominici Campillo in instrumẽto comandæ, pro eius parte exhibito, cum clausulis sufficientibus ad obtinendum in hoc processu specialiter hipotecare potuit, finita vero dicta viduitate, propositio dicti Ioannis Franco, vt tutoris personæ, & bonornm Mariæ Blasco pupille admittenda est, tanquam successoris ab intestato Petri & Catherinæ ius fratrum eius consanguineorum quam potiorem esse, & melius ius quam Dominicũ & Martinum ius partes aduersas in prædicta successione ab intestato obtinere, vt clarius ostendatur. IN Primis præmittendum est per forũ antiquum de rebus vinculatis in successionibus ab intestato bona deferenda esse propinquioribus descendentibus, vnde illla descendunt: Quare forus postea editus finalis de successionibus ab intestato, in verbis, ibi: *Por quanto los bienes descendiendo preuienen en otros è no en el padre, o madre, o hermano, &c.* In huiusmodi successionibus ab intestato bona descendere constituit: Si igitur bona regulariter descendentibus propinquis deferuntur, & non ascendunt necessario infertur existentibus propinquis descensiue, siue in linea transuersali, siue in gradu inferiori defuncti ab intestato, vnde bona proueniunt transuersales consanguineos ex dicta parte vnde illa procedunt licet proximiores dicti defuncti in linea superiori, siue ascensiue existentes à prædicta defuncti, sine liberis successione, excludendos esse, prout ascendentes in linea recta remouentur, exceptis casibus à foro specialiter constitutis: Non etenim minor exclusionis ratio in his transuersalibus ascensiue existentibus; imo omnimoda reperitur, & dicti transuersales respectu defuncti ab intestato, sine liberis in inferiori linea, siue gradu, siue descensiue stantes, tanquã in linea superiori, siue ascensiue existentes, ascendentẽs appellantur ad hunc effectum. Quamobrem in Aragonia patruum licet proximiorem nepoti ex suo fratre ab intestato mortuo superstitibus alijs propinquis transuersalibus descensiue stantibus, siue in linea, siue gradu inferiori, licet remotioribus cõsanguineis ex parte vnde bona ad defunctum venerunt à successione dicti defuncti excludendũ esse passim, & communiter in hoc Regno receptum est, & hoc iure vtimur, more maiorum, quia communiter foriste scriptum nobis relinquerunt regulariter bona retro non reuerti in prædicta intestati successione ad ascendentes, hoc non solum intelligentes ad ascenden-

cendentes in linea recta, sed ad transuersales in linea, siue gradu superiori, siue ascensiue existentes, & sic dispositio dictorum fororũ, & mens, sua vi, & ratione, dictos transuersales ascendentes sicut ascendentes in linea recta includit, & comprehendit absque eo quod ad eos extensio aliqua fieri videatur, quam prohibitam aduersantes partes appellant. Secundo animaduertendum est cum dictus forus antiquus propinquiores defuncti ab intestati sine liberis ex ea parte vnde bona ad eum deuenerunt ad illius successionem, vocet, inmediatam personam tantum à qua dictus defunctus bona habuit inspiciendam esse, nam quamuis dicta persona inmediata à suo patre bona hæreditauerit, post tamen hæreditatis additionem efficiuntur patrimonij dicti hæredis, & amplius bona paterna non dicuntur, sed ipsius propria hæredis, merito dicta remota causa, non inspicitur, sed inmediata vt Doctores communiter existimauerunt, & licet aliqui hoc impugnauerint intelliguntur, & locuntur quando de iure, vel alias distinctio bonorum non fit, an à patre, vel à matre processerint ad prædictam successionem ab intestato, sed quoniam in hoc Regno per dictum forum, & obseruantiam Regni dicta distinctio est facienda, an à patre, vel a matre, vel ab alijs consanguineis bona peruenerint, vt paterna paternis, materna maternis consanguineis, & similia similibus deferantur, merito dicta communis traditio in hoc Regno est amplectenda, vt dicta causa inmediata cõsideretur tantum; Quibus præmissis cum in præsentiarum Petrus & Catherina ius fratres ab intestato sine descendentibus mortui à Martino ius eorum patre inmediate bona apprehensa habuerint, & Maria Blasco pupilla eorum sit consanguinea, vulgo prima secunda ex parte dicti Martini ius; nam hic & Maria Franco mater dictæ Mariæ Blasco fuerunt fratres patrueles, vulgo primos hermanos: nam Pascasia Delgado, & Catherina Delgado sorores fuerunt: ac dicta Catherina Delgado, Petro ius auo dictorum vltimo sine testamento obeuntium nupsit, dicta vero Pascasia Delgado ex nupcijs quas cum Ioanne Franco celebrauit in filiam dictam Mariam Franco habuitque Iacobo Blasco nupsit, & ex eo dictam Mariam Blasco in filiam procreauit, & sic auie dictorum Petri & Catherinæ ius fratrũ, & dictę Mariæ Blasco sorores fuerunt. Cum igitur dicta Maria Blasco cognata dictorum Petri & Catherinæ ius sit ex parte Martini ius eorum patris a quo ipsi bona apprehensa inmediate habuerunt

ad

ad succeſsionem ab inteſtato bonorum eorundem tanquam illorũ proximior deſcendens, ſiue deſcenſiue exiſtens optimo iure admittenda eſt, & ſua propoſitio pro parte ſui tutoris recipienda iure ab inteſtato. Propoſitio autem dictorum Dominici & Martini ius partium aduerſarum volentium dictis Petro & Catherinæ ius ab inteſtato ſuccedere repellitur: ſuum enim fundamentum in ſequentibus verſatur, videlicet aſſerunt ſe fratres patrueles dicti Martini ius, & patruos dictorum eius filiorum fuiſſe ex parte Dominici ius proaui, & petri ius aui eorundem ſine teſtamento diſcedentium, & dictos proauum, & eorum auum bonorum apprehenſorum dominos reſpectiue fuiſſe eaque poſſediſſe, & ex illis ſucceſsiue ad Martinum ius eorum patrem perueniſſe, & ex illo poſtmodum ad eos deſcendiſſe, & quia præducta bona a dicto proauo, & auo in illos deuenerunt mediante ſuo patre, & ſint conſanguinei eorum ex parte qua bona ad eos deſcenderunt, iuxta dictum forum eos ſolos ad prædictam ſucceſsionem ab inteſtato eſſe admittendos, & dictam Mariam Blaſco remouendam quia bona, Catherinæ Delgado vxoris dicti Petri ius qui fuit auus prædictorum Petri & Catherinæ ius minime fuerunt, & ſic non eſt proximior ex parte qua illa bona ad prædictos ab inteſtato morientes peruenerunt. Sed huiuſmodi fundamentum corruit, & optimum non eſt, quoniam vt latius in ſecundo præmiſſo dictum fuit prædicta bona apprehenſa ad prædictos Petrum & Catherinam ius defunctos minime peruenire cenſentur a dictis eorum proauo, & auo, ſed potius a dicto Martino ius eorum patre, nam per additionem hæreditatis dicti Petri ius aui, factam per dictum Martinum ius patrem deſierunt illa bona dici amplius habita, vel prædictorum proaui, & aui paterni, & effecta fuerunt proprij patrimonij dicti Martini ius, & ſic in hac re, inmediata perſona recte inſpicienda eſt, & exiſtimandum prædicta bona a dicto patre Martino ius ad eius filios deueniſſe. Cumque dicta Maria Blaſco ſit cognata, & conſanguinea merito, vt proximior ex parte; vnde bo na ad illos deſcenderunt iudicanda & habenda eſt ſecundum dictum forum ad ſucceſsionem eorum admittenda, & intentio & mens dicti fori & obſeruantiarum huius Regni eſt, vt in ſucceſsionibus ab inteſtato bona paterna propinquioribus paternis, & materna maternis conſanguineis, & ſimiliter in alijs conſanguineis deuoluantur deſcenſiue, & non aſcenſiue, & ad hanc bonorum diſtinctionem cauſa inmediata

diata tantum inſpiciatur, alioquin progreſſus in infinitum abiret, & magna bonorum confuſio, & incertitudo a quo proceſſerint ſequi poſſet. Tum etiam prædictæ Mariæ Blaſco non officit ſcilicet dominicum, & Martinũ ius partes aduerſas dictis Petro & Catherinæ ius defunctis proximiores conſanguineos videri, & pro inde eis ab inteſtato ſucceſſuros: Reſpondetur enim eſſe conſanguineos colaterales ſupra aſcenſiue exiſtentes, & reſpectu dictorum Petri & Catherinæ ius defunctorum aſcendentes appellantur ad finem ne bona retro ad eos aſcendant, vt ſerioſius in primo præmiſſo diximus: quamobrem iuxta foros & obſeruantias, & communem interpretationem foriſtarum a prædicta ſucceſsione ab inteſtato bonorum dicti Petri & Catherinæ ius exiſtentium in linea inferiori, & gradu, ſiue deſcenſiue in hac ſpecie repellendos, & admittendam dictam Mariam Blaſco deſcendentem, ſiue deſcenſiue exiſtẽtem cenſemus. Alij vero duo domini de Regio Conſilio fuerunt voti & opinionis, quod attentis contentis tenetur, & debet pronunciare, & mandare fieri contenta in propoſitione Dominici Campillo, princ. Antonij Lataſſa Procur. cum expenſis iuribus ac viduitate Ioannæ Verde vſufructuariæ & obligate durantibus, & eis finitis contenta in propoſitiune dictæ Ioannæ Verde, princi. Antonij Lataſſa Procur. eius viduitate durante, & ea finita contenta in propoſitione Dominici ius minoris, & Martini ius fratrum, princ. dicti Antonij Lataſſa Procur. communiter & pro indiuiſo præſtita prius reſpectiue cautione forali: alijs propoſitionibus repulſis reſeruatis iuribus reſeruari ſuplicantibus neutram partium in expends demſtis prædictis taxandis condemnando. Ex eo & alias recipiuntur propoſitiones Ioannæ Verde, & Dominici Campillo reſpectiue, quia conſtat dictam Ioannam Verde habere viduitatem foralem in bonis apprehenſis, & ea durante poſſe & debere dictum Dominicum Campillo conſequi debitum Comandæ in proceſſu exhibite, & fructibus illorum, iuribus ſuis durantibus, & eis finitis, & finita viduitate dictæ Ioannæ Verde viduæ, recipitur propoſitio Dominici ius minoris, & Martini ius fratrum communiter, & pro indiuiſo, quia propinquiores conſanguineos ſe fore, & eſſe probatum in proceſſu apparet pupillis vltimo decedentibus ex illa parte & familia: vnde bona deſcendunt de quorum ſucceſsione tractatur cum notiſsimum ſit de foro ſucceſsionem ab inteſtato deferri propinquioribus conſanguineis,

ex

ex illa radice & trunco deſcendentibus: inde bona proueniunt ſi proximiores in gradu, vel æquali reperiantur, ſiue ſuperioris ſint ordinis, ſiue inferioris, ita vt non ſolum gradus proximitas, & prærogatiua attendatur, ſed etiam potius initium, & origo bonorum, quæ quanto ambiguior, & a maioribus profluens tanto melius ſit attendenda, & amplectenda qua propter in præſenti caſu, vbi quæſtio vertitur inter patruos pupillorum ab inteſtato defunctorum, ex parte ſuorum parentum, & Mariam Blaſco coguotam, ex parte matris in ſucceſsione bonorum quæ fuerunt patris & aui de los Iuſes, ac etiam proaui arbitramur, quod ſint dictorum patruorum in dicta ſucceſsione inteſtata iura potiora non ſolum ex eo, quod videatur eſſe in proximiori gradu cum defunctis, ſed quia ſint deſcendentes ex illa parte: vnde bona deſcendunt, videlicet de los Iuſes, quos veros fuiſſe dominos & poſſeſſores dictorum bonorum ſatis ſuperque probatum exiſtit in proceſſu, nec prædictis refragatur, quod dicta Maria Blaſco videatur eſſe in pari gradu cum pupillis defunctis quibus ſucceditur ab inteſtato decedentibus, & quod ſit inſpicienda cauſa inmediata a qua bona procedunt, & non mediata cum alias eſſet abire in infinitum; nam reſpondetur, quod ſi perſonam inmediatam ſolum conſideremus in ſucceſsionibus inteſtatis ſubtilis & inanis videretur foralis diſpoſitio qua cauetur conſiderādam fore, & eſſe lineam a qua bona procedunt, quæ non debet cohartaai ad perſonam inmediatam ſi ab anterioribus aſcendentibus probari poſsit bona deſcendiſſe, cum tunc temporis ſimul concurrāt cauſa mediata, & inmediata quæ velut duo vincula fortiora ſunt vno, & ſit verum quod dicti conſanguinei ex parte patris prætendunt ſuccedere in dictis bonis non aliunde quæſitis quam ex ſucceſsione ſuorum maiorum quæ attenro origine vt dictum eſt, & principio, medio, & fine ſemper paterna dicentur, & ad conſanguineos paternos, & non maternos pertinere iudicandum ſit: nam vbi in huiuſmodi ſucceſsionibus inteſtatis non poſſet commode probari bona ab alijs maioribus, ſiue ſuperioribus quam a patre bona poſſeſſa fuiſſe ſufficiet cauſam, & perſonam inmediatam aſpicere, verum ſi probetur ab vlterioribus aſcendentibus bona proueniſſe magis rationi conſonum, & foralibus diſpoſitionibus erit conſanguineos ad ſucceſsionem admittere eos qui ex illa parte deſcendunt a qua bona proceſſere niſi aliquis titulus puta venditionis, ſeu donationis

tionis interueniat, quæ posſidendi cauſam, & lineam conſanguinitatis mutet: nam tum non mirum ſi cauſa inmediata conſideretur, & non mediata velut in antiphato, ſeu augmento dotis iudicatum videmus, tandem nec prædictis reſiſtit, quod dici poſsit huiuſmodi ſucceſsionem ſi ad patruos defunctorum reuertatur retroabire, & ſit receptum de foro in linea aſcendentium non poſſe, nec debere in Aragonia admitti: nam licet hoc fateamur in linea aſcendentium, non tamen ad alios caſus debet trahi, nec a maioritate rationis argumentum ſummi in odioſis, & vbi ipſi fori fatentur, non eſſe conſonum rationi parentes excludi a ſucceſsione filiorum ab inteſtato decendentium, maxime in bonis ab ipſis donatis, & nullum in præſenti caſu ſit inconueniens, imo equm & rationabile, quod iſti patrui ſuccedant, tanquam proximiores conſanguinei ex illa parte: vnde bona deſcendunt, vnde etiam fit quod Dominicus Ius maior, tanquam in conſanguinitate remotior non admittatur ſimul cum eius filijs qui ſunt proximiores in gradu defunctorum.